

LVNÆ DIE 18 M. IVNII A. 2007

A.d. XIV Kal. Iulias a. MMVII

I 3 8

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

REDACTRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

AD LECTOREM
DE LIBELLO AB ACADEMIA PACTO

LIBELLVS

Iam complures annos in circulo Bruxellensi cogitamus de quodam libello conscribendo et edendo, quo rationes eorum, qui nostris temporibus usum linguæ Latinæ colunt, patefiant. Cultores enim Latinitatis vivæ non solum populo videntur singulares, sed, quod peius est, arcentur, quin etiam deridentur a politicis eorumque asseclis; insuper acerbiores hostes habent multos Latine docentes. ¶ Cum Academiæ Latinitati Fovendæ sodalis factus sum, putavi libelli pondus multo maius fore, si ab ipsa Academiâ divulgaretur. Quare textum una cum Præsidente Tuomone Pekkanen composui, de quo disputatum est inter Academiæ sessionem autumnalem anni 2006. Textus postea ad singulos sodales missus est examinandus. Inter hornotinam sessionem die 20 mensis Aprilis Romæ habitam, de textu disputatum est; paucis mutatis verbis, comprobatus est, nemine obstante. Decretum est ut in Academiæ sede interretiali imprimis divulgaretur. ❀

Gaius LICOPPE

Academia Latinitati Fovendæ ante quadraginta annos Romæ condita est ab hominibus ex diversis orbis terrarum regionibus oriundis, quin etiam ex longinquis ut America, Turcia et Iaponia. Cum tunc temporis studia linguæ litterarumque Latinarum iacere iam cœpissent, usui huius linguæ favere volebant. Quinto quoque anno Academia conventum internationalem instituit, ubi sola lingua Latina adhibetur.

Academiæ sodalibus persuasum est usum linguæ Latinæ maxime prodesse posse non solum Europæis, qui coalescere conantur, sed etiam omnibus nationibus, quæ cultum Europæum participant. In memoriam revocare oportet linguam Latinam in hac area culturali vehiculum fuisse omnium cogitationum et inventorum alicuius momenti, usque dum nationalismi Europæi eam ab omni usu removeere cœperunt ante duo sæcula.

Lingua Latina est unicum pacificumque vinculum, quo coniunguntur gentes cultus Europæi; est signum identitatis Europææ. Sunt qui vulgent usum linguæ Latinæ ad solam Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere, quod verum non est; etsi Ecclesia post finem Antiquitatis linguam Latinam servavit latiusque propagavit, tamen a tempore Renascentiæ lingua Latina facta est uberrima communisque lingua omnium scientiarum tum apud Catholicos Romanos, cum apud protestantes, quin etiam apud orthodoxos orientales.

Academia operam dat, ut ubicumque fieri potest, sermo Latinus doceatur et exerceatur, non solum, ut plerumque solet, textus in vernaculum vertendo, sed etiam Latine scribendo et loquendo.

Academia suadet ut in omnibus scholis, ubi Latine docetur, liceat vividioribus methodis uti, quibus discipuli delectatione adliciantur ad linguam Latinam descendam.

Oportet nationum regentes sibi conscii fiant momenti hereditatis Latinæ.

DE DEMOCRATIA ET PROSPERITATE

– scripsit Samius Jansson –

Gaius Licoppe optime narravit de ruina societatis Insulæ Paschalis in fasciculo *Melissæ* 137. Demonstravit homines primitivos Insulæ Paschalis parum ab hominibus modernis distulisse, quod ad opes naturales parcendas pertinet. Duobus autem rebus societates modernæ omnes pristinas societates superant : nam hodie possumus energiam sumere efficacius quam unquam antea, et societates nostræ reguntur secundum principia democratica. Quid est concludendum ? Hodie haud rari attingunt regalem modum vivendi, plurimi enim nostrum sibi appetere audent prosperitatem œconomicam quæ olim nullis nisi regibus servata est. Et hæc prosperitas inaudita efficacissime auxilio scientiæ modernæ propagatur in omnibus mundi partibus. Prosperitas ? Meministisne quæ res esset gravioris momenti, quam præsidens Georgius W. Bush voluit populo Iraqianno donare ? Democratia erat.

Gallus Alexis de Tocqueville Civitates Americæ Vnitas visitavit annis 1831–1832 cum amico suo Gustavo de Beaumont. Itinere facto Alexis scripsit opus de democratia Americana, quod actutum, postquam divulgatum est, magna cum laude non solum in Francogallia et in America, sed etiam multis in aliis civitatibus receptum est.¹ Auctor vidit in America societatem divitem principiis democraticis rectam, quæ pace florebat. Nullæ rerum publicarum eversiones, nullæ seditiones, nulla bella vitam Americanorum perturbabant, cum interim in Europa omnes pæne civitates, inter quas scilicet Francogallia, bellis civilibus et seditionibus democratiam frustra, ut videbatur, peterent.

Alexis de Tocqueville narravit democratiam in America sustentam esse moribus democraticis incolarum. Moribus democraticis ? Persuasum multi habent omnes homines inæqualitati præferre mores democraticos, si optandi licentiam accipiant. At si quis aliquid ignorat, idem nescit appetere rem sibi alienam. Contra sententiam multorum occidentalium hominum, mores democratici non sunt innati in nobis, immo vero potius sumus natura proni ad regimen aristocraticum approbandum. Quis audivit de gente primitiva ulla, quæ habuisset regimen democraticum ? Secundum auctorem, Americani anno 1831 nulla in re differebant a gentibus Europæ nisi in hac, quod fortunatiores fuisse videbantur : terra intacta Americana ab incolis paucis et primitivis tunc aboriginibus habitata nondum culta erat, gentes bellicosæ Europæ manebant procul in regionibus remotis pone magnum mare Atlantis. Et, quod bene notandum est, primi immigrantes erant nec pauperes, qui non habebant copiam immigrandi, nec divites, qui satis bene vivebant in patria, nec denique

optimates, qui propter statum suum patriam relinquere nequibant. Qui igitur erant primi immigrantes ? Nulli nisi homines e mediis ordinibus societatis orti, qui in Americam immigraverunt, quo meliorem vitam sibi peterent. Immigrantes secum e patria importaverunt, quod maximi est momenti, mores suos œconomicos, religiosos et politicos.

Immigrantes, qui e diversis nationibus Europæ advenerunt, iam in patria sibi consuetudinem negotiandi et lucrum petendi assumpserant. Principia Christiana quædam ad mores democraticos in America evolvendos contribuerunt, nam quicumque se bonum Christianum esse arbitratur, sedulitatem, pietatem, et æqualitatem hominum sub oculis Dei, summas inter virtutes Christianas videlicet existimat. In Americana civitate Novæ Angliæ Alexis de Tocqueville, dum advenit anno 1831, democratiam tunc felicissime florere arbitrabatur. In eam regionem immigraverant incolæ ex Anglia, qui religione erant Christiani protestantes. Iidem protestantes a Catholicam fidem colentibus differebant in eo, quod ubi plurimi Catholici Christiani summam auctoritatem papæ confitebantur semper, protestantes e contrario auctoritatem papæ negare ausi sunt, atque aliis etiam quam divinis in rebus fidem suo tribuebant proprio arbitrio. De rebus igitur ad vitam cottidianam pertinentibus inter se consultare ulterius quam Catholici assueverant.

Æqualitas inter homines nobis, ab infante qui cives sumus societatis democraticæ, est res fere sancta quam nunquam auderemus in dubium vocare. Democratia nobis summus ordo rerum publicarum esse videtur, quem omnes societates attingere debent. Secundum Alexin de Tocqueville, æqualitatem hominum inter se efficere in societatibus democraticis, ut omnes cives occasionem habeant se ad vitam meliorem et statum firmiorem in civitate attollere suis propriis viribus. In civitatibus aristocraticis contra, ubi homines inter se æquales esse non æstimantur, quis crederet se ipsum solum posse mutare vitæ condiciones suas ? Hæc differentia haud parvi est momenti ac per hanc rem etiam possumus intellegere mentem democraticam. Nam cives in societatibus democraticis plus quam cives societatum aristocraticarum curant se ipsos suasque proprias condiciones vitæ. Breviter dictum, nos æqualitate qui fruimur, simul sumus individualistæ. Quod ad statum meliorem petendum attinet, cives in societatibus democraticis, qui nulla alia ratione valent se inter optimates attollere, incipiunt summa sedulitate sibi divitias parare. Occasionem huius rei omnibus tradunt condiciones democraticæ una cum inventionibus modernis technicis. Nunc animum bene attendamus.

Nos individualistæ pro certo habemus nos ipsos in societate nostra propriis viribus laborantes divites fieri posse absque auxilio alieno. Libenter credimus nos non dependere ab aliis hominibus. At quomodo res se habet? Exempli gratia, unusquisque hac in societate facile sibi autocinetum parat. Qua ratione fieri potest? Quot homines cognoverunt artem autocineta designandi ac fabricandi? Quis sat temporis haberet ad hanc rem, nisi sit ingeniarius ad autocineta designanda educatus, qui laborat ad fabricam autocineta fabricantem? Fallit animum nostrum nos re ipsa magis ab aliis hominibus dependere quam ille, qui venando, fructus terræ legendo, pisces capiendo ac terram colendo sibi cibum parare non nescit. Qui tam opulentes facti sunt, ut sibi autocinetum, ordinatum, televisionem, domum hodiernam, et alias divitias parare valeant, ipsis gratias ne egerint sibi, sed felici suæ occasione in prosperitate democratica vivendi. Prosperitas enim civitatis nostræ e cooperatione imprimis hominum exorta est, quæ cooperatio videlicet efficacissima est ad opes ultra modum naturales sumendas. Opulentissimi facti sumus sumptibus naturæ et inventionibus technologicis, quarum proventus, id est Copiæ propitiæ fructus, inter cives societatis nostræ distribuuntur. Hac sola ratione æque divites fieri possumus, immo longe divitiores quam optimates antiquorum temporum.

Alexis de Tocqueville animadvertit homines in civitatibus democraticis, qui se æquales inter se esse sentiunt, ad similes res petendas inter se æmulari, ut se ipsos opulentiores reddant. Si enim æquales vitæ omnibus condiciones ac lucrum petendi occasio præbentur, cives democratarum operam dant ad hoc attingendum, ut divitiores fiant. (...) *certum est, malam rem potius quæram cum lucro.*² Anglus Ioannes Locke suo sæculo censuerat terram esse a Deo datam hominibus, ut eam possiderent et colerent.³ Possessio terræ principium erat capitalismi. Sicut reges mediæ ævi, inviti deponeremus prosperitatem valde copiosam nostram, quam meritis nos ipsos esse persuasi sumus. Reges hac de re semet ipsos persuadent propter genus suum et radices suas nobiles, sed individualistæ hodierni eandem rem de se ipsis veram habent propter laborem, quem ipsos solos se fecisse credunt. Sed cur individualistæ in societate democratica similes fere res sibi petere videntur omnes? Alexis de Tocqueville respondit cives in tali societate re vera non esse individualistas, id est, cives democraticarum rerum publicarum parum esse iuris sui, quamvis contrarium esse verum persuasi sint. Cum enim propter æqualitatem democraticam cives omnes in sua societate democratica facultatem sibi patere videant se ipsos inter optimates attollendi,

hæc ipsa res studia omnium civium movet. Si quis non sibi appetit prosperitatem æqualem ac vicini sui, sententia maioritatis paulisper suffocat eius proposita. Rarissimi cives audent aliter vivere quam pars maxima sociorum suorum et sic sententia maioritatis furtim in *tyrannidem maioritatis* mutatur. Si per industriam humanam et prosperitatem œconomicam definitur status civis in societate, nihil aliud de societate democratica fit, quam nova *aristocratia industrialis*.

Alexis de Tocqueville non valuit divinare civitates occidentales statu democratico sibi assumpto efficacissime Terram despoliaturas sibi que foveam simul sepulcralem, ut videtur, esse fossuras, et hunc modum letalem vivendi ad omnes partes mundi pansuras principiis scilicet democraticis vestitum. *Nunc quoquo venias plus plaustrorum in ædibus videas quam ruri, quando ad vilam veneris. Sed hoc etiam pulchrum est præquam ubi sumptus petunt.*⁴ Futuris hominum generibus nos non relinquemus opes naturæ æque faustas ac nobis ipsis traditæ sunt a maioribus nostris. (...) *agri reliquit ei non magnum modum, quo cum labore magno et misere viveret.*⁵ ❖

1. Alexis de Tocqueville (1835 et 1840) : *De la démocratie en Amérique* I-II.

2. Plauti *Aulularia*, 681.


3. John Locke (1690 anon.) : *Two Treatises of Government*.

4. Plauti *Aulularia*, 505-507.

5. Plauti *Aulularia*, *prologus Laris familiaris*, 13-14.

DE ARA PACIS AVGVSTÆ

– scripsit Gaius Licoppe –



Ad dextram horologii est Ara Pacis.



Minima pars areæ solarii.

Anno¹ 2006, die 21 mensis Aprilis, ipso Urbis die natali, magno hominum concursu inauguratum est Museum Aræ Pacis Augustæ. Hoc novum ædificium aspectum præbet quadrantalibus simplicibus et albis. Magnis speculariis ita instructum est ut Ara optime illuminetur. Sub tecto lustratores circumambulant in amplo spatio unde optimum conspectum habent in totam Aram.

Inventio huius pulcherrimi monumenti est extraordinaria historia, cum iam antiquitas, tempore stirpis Severorum scilicet, in terram infossum fuerit propter soli motus et fluvii exundationes nobis non bene notas.

Cum Augustus, post triennium Hispaniæ Rhætiæque pacandæ deditum, Romam victor rediisset, Tiberio Nerone et Publio Quintilio consulibus, die 4 mensis Iulii anno 13 a.Ch.n., Senatus in eius honorem decrevit Aram Pacis ædificandam esse in Campo Martio. Ex dedicatione² scimus eam inauguratam esse die 30 mensis Ianuarii anno 9, i.e. tribus annis semis post senatus decretum.


Ara Pacis exstructa est in parte septentrionali Campi Martii, ubi Augustus suum Mausoleum etiam collocavit. Ibi insuper horologium solare exstruxit, maximum in orbe terrarum. Eius gnomon erat obeliscus Pharaonis Psammetici II, monolithus et viginti duometra altus, quem ex Heliopoli transportandum curaverat. Solarii conceptor, mathematicus astronomusque Facundus Novius, in summo obelisco posuit globum, insigne potentiae universalis Augusti.

In area solarii, Tiburtino lapide strata, aeneis tæniolis inscripta erant menses, dies, horæ et signa Zodiaci. Minima huius areæ pars effossionibus in Via Campi Martii anno 1979 factis detecta est; ibi litteræ Græcæ leguntur.

Vmbra globi in summo obelisco positi tempus accurate indicabat, non diu tamen indicavit; Plinius enim Maior narrat³ iam decem circiter annis post Augusti mortem gnomon aberrare cœpisse. Omnia monumenta Augustana huius situs iam tunc temporis corruiere cœperunt. Cum libra soli ascendere non desineret, secundo sæculo p.Ch.n., Hadriano imperatore, murus circa Aram exstructus est, ne ea includeretur terra. Hoc vero non sufficit ad Aram servandam, quæ tempore stirpis Severorum, tertio sæculo, tota iam disparuerat sub terra; inde per quindecim sæcula in oblivionem iit.



Solarii obeliscus nunc in platea Montecitorio erectus.



Fulcimentum anguli palatii.

Tempore Renascentiæ, sexto decimo sæculo, nonnulla antiqua marmorea fragmenta fortuito inveniuntur in fundamentis cuiusdam palatii ad Viam in Lucina siti ; tunc nondum scitur ea ad Aram Pacis pertinere. Eodem sæculo, etiam fortuito, effoditur obeliscus solarii Augustani in quinque partes fractus. Qui diu iacet in Vaticano, cum tandem, exeunte duodevicesimo sæculo, Papa Pius IV eum restaurandum curat atque in platea Montecitorio iterum erigit.

Medio sexto decimo sæculo, Cardinalis Iohannes Ricci de Montepulciano nonnullas exsculptas tabulas marmoreas modo effossas emit, quarum partem Duci Toscaniæ vendit reliquasque in palatium inserit, quod in Monte Pincio ædificandum curat. Hæ tabulæ adhuc sunt in fronte huius palatii, quod hodie vocatur « Villa Medici ». Alia fragmenta a diversis hominibus emuntur.

Medio undevicesimo sæculo, palatium ad Viam in Lucina situm restauratione eget ; hanc occasionem capiunt ad plura fragmenta marmorea extrahenda.

Tandem anno 1879 iuvenis archæologus Fredericus von Duhn mirabiliter demonstrat cuncta fragmenta sub palatio inventa ad Aram Pacis Augustæ pertinere.

Paucis annis ante hanc revelationem, facta est politica Italiæ unitas. Tantus tunc fit novæ patriæ amor, ut omnia inventa, quæ antiquam Italiæ gloriam commemorant, maximæ curæ sint et populo et regimini. Statuitur ergo ut effossiones sub palatio iterum fiant ; quæ anno 1903 incohantur. Operum condiciones perdifficiles sunt ; palatium enim, ut alia ædificia circumiacentia, exstructum est super palos profunde infixos ultra stratum puteanum ; præter obstacula vitanda, ut palos et fulturas latericias, magna aquæ copia operarios impedit. Quamobrem Aram Pacis partim tantum extrahere valent.

Reliqua pars sub palatio iacet usque ad regimen Mussolinianum. Dux Mussolini, qui etiam magni facit testimonia Romanæ maiestatis, curat ut omnia Aræ Pacis fragmenta extrahantur. Quod solum fieri potest novis methodis utendo, præcipue solum congelando et palatii angulum fulciendo.

Fragmenta coniungenda sunt ad Aræ formam restituentam ; hoc curat laboratorium Nationalis Musei



Romæ : villa Medici.



Restauratio Aræ Pacis in Museo Thermarum.

Romani ad Thermas, cui imprimis colligenda sunt dispersa fragmenta. Non nimis difficulter recuperantur fragmenta Florentiæ servata, sed propter discordiam politicam inter Italiam et Francogalliam ortam Parisinum Museum Luparæ nihil reddit ; Museum Vaticanum sua fragmenta etiam servat, usque ad annum 1954, quo Papa Pius XII ea reddere statuit.

Deficientibus fragmentis simillima exemplaria ficta substituuntur, ita ut monumentum fere totum restitui possit.

Ara Pacis Augustæ tunc erigitur in Tiberis ripa, non longe a situ suo originali, atque ab intemperie cæli servatur structura metallina et vitrea. Cunctis operibus quam celerrime perfectis, anno 1938, ultimo die huius temporis, quo bimillennarium nativitatis Augusti celebratur, Duci Mussolini tandem licet monumentum inaugurare.




Iam tum temporis monumenti tectum non habetur ut perfectum. Consilium creatur, quod cogitet de splendidiore monumenti exhibitione, sed propter instans bellum nihil fit. Anno 1949 iterum agitur de Ara Pacis melius exhibenda servandaque et certamen architectorum instituitur. Diu tamen nihil statuitur atque Ara Pacis manet sub tecto transitorio, ubi magna detrimenta capit condicionibus atmosphæricis ; eam compluries necesse est restaurare.

Anno demum 1996 Municipium Romanum Americano architecto Richardo Meier mandat ut museum ædificet, quo Ara Pacis Augustæ non solum splendide exhibeatur, sed etiam efficaciter protegatur. At multæ et inexpectatæ difficultates efficiunt ut propositum architecti Meier solum post decem annos fiat ædificium hodiernum...



Ara Pacis restituta.



Hac delineatione monstratur structura templi minoris.

Quid autem est Ara Pacis Augustæ ? Aspectum præbet templi minoris, generis eorum, quæ augures ex ligno ædificare solebant. Ara enim est sæptum circum mensam sacrificiorum instructum ; in marmore Carariensi, ex quo factum est, finguntur quattuor fale-ria in angulis atque in parte interiore sæptum ligneum, sarta, pateræ et bucrania.

Archaica Aræ Pacis forma cum maiorum religione, quam Augustus restaurare voluit, bene congruit.

Paries exterior dividitur in binas partes. Superior pars illustratur personis sive mythicis sive viventibus. Pars inferior ornatur elegantissimis acanthi delineationibus, nonnullis insertis animalibus. Hæ duæ partes separantur tænia continua crucibus gammatis ornata.

Monumenti frons principalis olim spectabat ad occidentem et Campum Martium. Decem gradus ducunt ad latum ostium. Ad ostii dextram, in parte superiore posita est ectypa imago Patris Æneæ ; capite velato, habitum habet sacerdotis, qui libat Penatibus. Augustus, qui paulo ante aram exstructam factus est Pontifex Maximus, se præbet ut novus Urbis conditor ;



Tabula Patris Æneæ.



Tabula Telluris.

itaque ipse videtur significari imagine mythici Romæ conditoris. Recentius tamen de hac interpretatione dubitare cœperunt et loco Æneæ positus est rex Numa Pompilius.

Ad ostii sinistram est tabula, cuius pauca parvaque fragmenta supersunt ; eo magis mirandum est quod historici putaverunt totam scœnam restitui posse. Agitur de Lupercali ; ad sinistram stat deus Mars, ad dextram pastor Faustulus ; in medio sunt ficus ruminalis et lupa cum gemellis, Romulo et Remo.

In media fronte orientali est idem latum ostium, cuius ad sinistram apparet tabula fere integra. In hac pulcherrima sculptura, quæ sit femina in medio sedens, adhuc disputatur ; estne Italia personata an dea Tellus, Mater Terra ? Plerique docti opinantur eam esse Tellurem, quare tabula communiter vocatur tabula Telluris. Recentius tamen nonnulli autumaverunt eam esse Venerem Genetricem ; fieri enim non potest ut in

monumento Augusto dicato absit mater Æneæ, atavia gentis Iuliæ. Alii dicunt eam esse Pacem Augustam, alii Cererem.

Vtrunque sedent Auræ Velificantes, quæ pertinent ad traditionem hellenicam.

Inest ergo in hac sculptura quædam ambiguitas, verisimiliter voluntaria ; hic enim est mos in Augustanis operibus exsculptis et generaliter in præconio Augustano.

Ad dextram ostii orientalis exhibetur tabula omnium maxime incompleta. Vix credibile est archæologos duobus minimis fragmentis intellexisse hanc tabulam deditam esse deæ Romæ. Totam delineationem restituerunt ex comparatione facta cum imaginibus vel nummis eiusdem ætatis.

In utroque monumenti latere fingitur pompa viro- rum, paucis feminis et puerulis comitantibus. Quid significet hæc duplex pompa, incertum est : fortasse



Tabula Lupercalis.



Tabula deæ Romæ.

facta est in honorem reditus Augusti, vel occasione inaugurationis Aræ Pacis. Quæ sint personæ, non omni ex parte certum est.

Hæc pompa in duobus ordinibus procedit, utroque a lictoribus ducto.

In ordine lateris meridionalis certe agnoscitur Augustus, quamquam dimidia pars eius vultus est per-dita ; capite velato, habitum habet sacerdotis. Augustum sequuntur flamines, qui facile agnoscuntur galero apice ornato. Necessario etiam adsunt augures, qui tamen nullum peculiare signum ostendunt. Postea veniunt familiares, Marco Vipsanio Agrippa duce. In ordine septentrionali, post lictores agnoscuntur septemviri, fortasse augures, quindecimviri et familiares.

Pars inferior, generis hellenistici, est eximie quali-tatis ; præterea nusquam, neque in orbe Græco neque in Romano, invenitur monumentum tam lata tænia florali ornatum.



Sexto decimo sæculo, post prima Aræ Pacis fragmenta effossa, quidam artifex, hac florali ornatione commotus, eam delineavit ; hæc delinea-tio, in huius fasciculi tegu-mento exhibita, Parisiis serva-tur in Bibliotheca Nationali. ❀



1. Imagines hic exhibitæ pleræque excerptæ sunt e musei libello : O. Rossini, *Ara Pacis*, Comune di Roma, Electa, 2006.

2. Dedicatio obelisci :

IMP.CAESAR.DIVI.F.

AVGVSTVS

PONTIFEX.MAXIMVS

IMP XII COS XI TRIB POT XIV

AEGVPTO IN POTESTATEM

POPVLI.ROMANI.REDACTA

SOLI DONVM DEDIT

3. *Hist. Nat.*, 36, 72-73.

DE DVOBVS VIRIS ILLVSTRIBVS

– scripsit Victorius Ciarrocchi –

In actis diurnis Italicis mense præteriti anni Decembri I pervulgatis pauca commemoraciones de Iacobo Ramón y Cajal (1852-1934), Hispano, et de Camillo Golgi (1843-1926), Italo, scriptæ sunt. Neque mirum. Nam ætate hac nostra magis narratiunculæ romanenses scribi ac legi solent vel insulsissimæ, quam investigaciones historicæ, medicæ, iuridicæ et aliæ, quæ vel ad vitam et rerum naturam spectent vel ad illustrium memoriam virorum recolendam dedicentur. Attamen duo illi viri, qui medicinæ artem insigniter coluerunt et anatomicam physiologicamque humani cerebri structuram adeo penitus investigarunt, ut multa de cellulis neuronalibus detexerint antea ignota, totius doctrinæ neuronalis iure meritoque antesignani fuisse habentur.

« Hanc enim ob doctrinam, quæ ab microscopiis electronicis firmata et corroborata est, accidit ut res ipsæ biologicæ non iam enucleari possint ratione eadem, qua plerique antea uti solebant », scripsit Paulus Mazzarello, qui medicinæ historiam in universitate Ticinensi docet, in opere c.t. *De Camilli Golgi vita et scientia, qui vel præmio Nobeliano honestatus, tamen neglectus est* (apud Bollati Boringhieri, Augustæ Taurinorum, a. 2006 ; locus citatus : p. 18). Quare die decimo mens. Dec. a. 1906 utriusque medico, Iacobo scilicet et Camillo, præmium Nobelianum adtributum est, magno virorum doctorum plausu.

Insequenti autem die aliquid necopinato evenit. Mos enim est ut ii, qui hoc præmio honestentur, gratias perquam officiosas agant Suetorum regi (nam Holmiæ, quæ Suetiæ est urbs princeps, omnia fere præmiorum sollempnia habentur) et coram omnibus audientibus, qui inter homines maxime honorabiles eligi solent, orationes habeant de rebus, quas ipsi egerint, tractaverint, invenerint.

Camillus autem Golgi, etsi indole vir modestissimus, quippe qui tantummodo studiis incuberat docens histologiam et anatomiam pathologicam plerumque in Ticinensi universitate tamque verecundus ut coram discipulis ipsis non raro trepidans esse videretur, orationem habuit « De neuronis doctrina : coniecturæ et facta », quam non immerito plerique audientes veluti doctrinarum improbationem sunt interpretati a Iacobo explicatarum. Nam Golgi, etsi verbis in collegam Hispanum laudativis non pepercit, huius tamen de neuronibus investigaciones et interpretaciones refellit iteravitque neurona nihil aliud esse nisi reticulum quoddam, e quo pateat cellulas systema neuronum constituentes nexu aliquo anatomico inter sese coniunctas esse. Præterea omnibus fere argumentis, quæ Ramón y Cajal ad suas de neuronibus investigaciones firmandas adtulerat, scilicet cellulas neuro-

nales inter sese non per continuitatem, ut ita dicam, sed tantum per contiguitatem esse iunctas, « directo suam Camillus doctrinam obiecit » (P. Mazzarello, *op. laud.*, p. 502). Nulliusque fere momenti ad infirmanda ea, quæ sibi erant persuasissima, esse adseruit flentium chemicum, quod per synapses ab unoquoque ad alterum neuronum decurrit, « neque – ut Camilli ipsius verba referantur – a meis opinionibus discedam, quia parum id significare mihi videtur, quod cellulae zonam cerebelli molecularis formantes propagentur usque ad postremos cellularum limites, quas Ioannes E. Purkinje primus invenerat ».

Cui quidem doctrinæ Golgianæ principium illud haud dubie subiacet, quod voce Græca « holisticum » fortasse dici potest quodque viri aliquarum periti scientiarum interdum sequuntur ut plura ipsorum inventa ad rem quamlibet spectantia in unum colligantur. Cum enim adfirmaret Camillus sibimet parum curæ esse quod sua de neurone doctrina eas ab antiquis medicis sententias de cerebro prolatas redoleret, eum aliqua Galeni principia medica secutum esse concludi licet. Nam encephalon, quo cerebrum, cerebellum, medulla spinalis continentur, unam eandemque massam esse putavit Galenus. Dum illam Golgi habet orationem, cum alia tum dixit hæc : « Non dubito quin eminentissimus collega quam primum opinionibus accedat meis ».

Doctrinis autem Iacobi, qui fremens Camilli verba audiverat, maior virorum pars doctorum adstipulata est neque Golgi de sua oratione inopportuna umquam se pænivit. Dicendum tamen est virum Hispanum difficultius amplissimam illam dignitatem præmio Nobeliano probatam adsecutum fuisse, nisi eisdem methodis ad neurona tingenda idoneis idcircoque ope microscopii distincte inspicienda usus esset, quas iam ex anno 1873 Camillus, varios liquores medicatos in culina parvæ habitationis in oppido Albiato (It. *Abbiategrosso*) sitæ experiundo, prospero adhibuerat effectu. Quo quidem invento multa, quæ ad illam usque ætatem de cerebri humani structura tantummodo conici potuerant, clario- ra facta sunt atque in illis cellulis « neurona » appellatis, quarum numerus amplius centum milia esse dicitur omni in cerebro, diligentius investigandis plerique medici magis magisque incumbere cœperunt.

Non autem immerito maior medicorum pars potius Iacobi quam Camilli doctrinis est adsensa, utpote quæ aptiores visæ sint ad aliquos morbos quoque explanandos, quorum causæ et origines in cerebri structura inesse putentur. Nam, præterquam quod omni minuto secundo unum et verisimilius duo neurona moriuntur ipsaque regenerari nequeant, obliviscendum non est quod sæpe in quibusdam capitis partibus idcircoque in

nonnullis cerebri læsionibus accidit, siquidem læsio, quæ exempli gratia regionem cranii parietalem attigerit, indemnem aliam quamlibet huiusque neurona relinquat.

Postquam præmium illud utrique viro tributum erat, dissimilis esse perrexit unicuique vita : Camillus, etsi universitatis Ticinensis rector factus est ac Regni Italici senator, vitam solitariam degit, ab hominibus lautis plerumque abhorrens et fortasse aliquo mærore adfectus, quod etiam in Italia non deessent, qui eius doctrinas neuronales refutarent.

Quattuor voluminibus Mediolani inter annos 1909-1929 editis continentur opera omnia a Camillo Golgi composita, qui etiam variis in morbis investigandis se virum magno præditum ingenio præstitit.

Anno 1886, postquam alii viri docti veras morbi palustris causas detexerant, is originem februm identidem accedentium tribuendam esse demonstravit erythrocytis, quæ per intervalla aut 48 aut 72 horarum rumpantur ideoque parasitos illum morbum foventes liberent. Quo quidem morbo tunc temporis aliquæ Italiæ regiones graviter infestabantur.

Feliciorem vitam duxit Iacobus Ramón y Cajal, haud dubie « maximus artis medicæ vir doctus Hispanus » (hæc sententia legitur in *Lexico Biographico Historiæ Medicinæ et Scientiarum Naturalium*, Franco Maria Ricci ed., Milano, 1989, vol. IV, p. 17), cui

munus « Instituti Cajal » regendi anno 1922 adtributum est. Multos libros – etiam *De vita mea commentarii* (Hispanice : *Recuerdos de mi Vida*) – conscripsit permultaque opuscula, quæ non minus 250 sunt. Etiam itinera suscepit in varias Europæ Civitates atque in Americam Septentrionalem, præsertim cum ad suas ipsius doctrinas latius vulgandas nihil umquam intentatum reliquerit.

A gloriatione quadam Iacobus non alienus, vir fuit sermonis adeo plenus, ut variis de rebus – politicis, litterariis, philosophicis – facile disputaret. Vtique fortasse non erravit Fabricius Michetti, diurnarius, qui in actis diurnis Romanis q. i. *Il Messaggero* (die 10 Dec. 2006 editis, p. 25) cum « reactionem nigram », qua Camillus neuronum structuram primus invenit, et hunc virum commemoraret, controversiam illam inter Golgi et Ramón y Cajal habitam verbis comprehendit hisce : « Post centum annos, ex quo summi duo viri præmio illo honestati sunt, eorum doctrinæ forsitan haud tam oppositæ esse videantur. Ipsæ enim demonstrant varios cerebri humani actus oriri e toto cerebro, in quo tamen unaquæque cellula ab aliis, quod ad eius attinet structuram, distincta manet » (ita Latine reddidi verborum sensum Italicorum, quæ sunt : « le attività del nostro cervello scaturiscono dalla connessione in reti funzionali di cellule strutturalmente ben distinte »). ❧

FLAMMA FVMO EST PROXIMA

adagium 420

DE POETA IN OBLIVIONEM DELAPSO DEQVE MAGISTRO EIVS

- scripsit Daniel Blanchard -

Nuper in viis Lutetiæ ambulans vidi titulum indicantem : « rue Santeuil » ; pauci autem adhuc sciunt quis fuerit Santolius, qui olim habebatur unus ex maximis poetis Francogallicis. Ab oblivione cupio eum necnon magistrum amicumque ejus hodie vindicari.

Johannes Baptista Santolius natus est Lutetiæ Parisiorum die duodecimo mensis Maii anno 1630. In collegio Sanctæ Barbaræ cum rhetore et poeta Gabriele Cossartio litteris ingenuis artibusque studuit. Cossartius sacerdos Societatis Jesu (1615-1674) erudit sensum ejus recti atque pulchri et eum ad Musas duxit. Hic fuit poeta maximi momenti in historia litterarum neolatinarum, qui scripsit opera diversa, a disputationibus philosophicis soluta oratione usque ad odas ; Panegyrici duo Ludovico decimo quarto regi (1645) illo tempore claruerunt. Inter odas illius artificis, legere libet unam nomine *Vmbram* (1648) :

Hinc procul artis opus, procul hinc immobilis hærens
In tabulis pictura, & inertibus ebria fucis,
Quos longus telis labor illinit : ecce sine arte
Effigiam subitam simulacris pingere novit
Mobilibus natura. Vides, dum lumine terras
Perfundit Titan, pulsus dum regnat in orbe
Nubibus, artificii quales dat luce figuras ?
Vt radians formarum opifex, quæ corpora cunque
Sunt objecta sibi format nigrantibus umbris ;
Spectra oculis jucunda ciens : radioque nitenti
Ducta licet, nobis tamen atro cuncta colore
Exprimit umbra rudi ? Sed pensat damna coloris
Vivida nobilitas : nam si quos corpore flexus
Pernici dederis, flexus hæc æmula reddit
Continuo, sequiturque gradum quocumque libebit.
Ipse ego mirabar sudo cum nuper Olympo
Soli adversus iter carpebam forte viator ;
Pone sequi effigiem vidi, visaque repente
Obstupui, pressique pedem, dubiusque pependi.
Hæc gestus imitata meos immota resistit.
Aspicio, flectoque oculos : avertere visa
Est faciem nec passa suos me cernere vultus.
Aufugio : illa sequens instat mihi passibus æquis :
Nescia stare loco, nisi stem quoque fixus, eodem.
Irruo in hanc audax, repetitisque ictibus umbram
Appeto nequicquam. Sic me sequiturque fugacem,
Instantemque fugit velox : nec deserat unquam
Fida comes ; nigro faciem ni velet amictu
Delius, & vastam inducens mortalibus umbram
Mille umbras adimat. Mundo sic muneris hujus
Se probat auctorem : nam si se ostenderit orbi
Vmbræ iterum redeunt ; quas aut jubet ire sinistras,
Aut dextras agit, aut sinuosos gyrat in orbes.¹



Factus est Santolius canonicus regularis in abbacia Sancti Victoris Parisiensis ; dicitur pietate summa curavisse pauperes orbosque. In otio scripsit opus poeticum crebrum et raræ pulchritudinis. Urbem Lutetiam ornavit inscriptionibus Latinis multis (quarum nulla in situ usque ad nos infeliciter pervenit !), versibus laudavit regentes elegantibus, et carmina profana multa more antiquo panxit. Jacobus Benignus Bossuetus episcopus Meldensis die quadam eum reprehendit quod carmina pagana neque christiana scriberet : hujus rei poenitens scripsit Santolius carmina pro breviario Cluniacensi. Strenue defendit gloriam linguæ Latinæ, quæ jam pridem spernebatur a fautoribus linguæ vulgaris ; qua in pugna habuit Carolum Perrault virum academicum detractorem, Jacobumque Benignum Bossuetum episcopum adiutorem.

Per totam vitam coluit amicitiam magistri sui Cossarti, in cujus tumulum ornatissimum carmen composuit (1674) :

Vos placidi manes, vos umbræ, animæque silentum,
Parcite, carminibus si vestra silentia turbem,
Ille meus studiorum, idem morumque magister
Occubuit Cossartus ; & alta in nocte reliquit
Mœrentes Musas, doctas & Apollinis artes.

Sint alii tristem tumulum qui floribus ornent :
Pallentes violas, & purpureos hyacinthos,
Et pro more ferant accensi thuris honores.
Vulgaris pompa fuerit vulgaribus umbris :
Longe alios, Cossarte, tibi meditamus honores.
(...)

... Duro in saxo testabor amorem
Ipse meum. Vidistis enim, & memorare potestis,

Quicumque incolitis Clarii juga sacra poetæ.
Me miserum ! his oculis vidi hanc procedere pompam
Ordine flammaram longo : vidi ipse magistri
Exequias tristes & lamentabile funus.

Ibant pullati, dejectique ora sodales,
Et longum per iter carmen ferale canebant.
Cossarti procul aspiciamus miserabile corpus
Impositum molli feretro : quem torrida febris
Abstulerat, crudæ sub tempora prima senectæ.
Vt vidi pressos oculos, pallentiaque ora :
Quos ah ! tum gemitus, quæ tum lamenta per oras !
Hos gemitus audistis, & hæc lamenta, Camenæ.

Extremum adjiciam, quantos mea Gallia luctus
Fuderit, ut tristes ulularint undique Musæ.
Mæstior una tamen studiis quæ præfuit olim
Melpomene, hos versus dilecto inscribet alumno :
*Exilio e longo quas ille reduxerat artes ;
Has moriens traxit secum, conditque sepulchro.*²

Tam artissime junctus erat amico suo, ut nequirent
impressores attribueri carmen de incendio urbis
Londini secundum sonnetum (quod vocant neoterici)
Francogallicum auctore Benserade : apparet in editione
operum Santolii (Lutetiæ apud Fratres Barbou, 1729,
tomo III, pagina 83) et in editione operibus Cossarti
dicata (Parisiis, apud Sebastianum Marbre-Cramoisy
regis typographum, 1675, pagina 257) :

Incendium Londinense (sic)

Inclyta sic arsit quondam Illios : at neque Reges,
Ausa tamen, Divos nec violare suos
Londinum meritos, quantum fuit, ivit in ignes :
Pœnaque par, noxâ pro graviore, fuit.
Quod scelus admisit, scelere est immanius omni.
Et tantum ignoscunt Numina nulla nefas.
Nec genus hoc monstri Sol viderat ante : nec olim
Posteritas visum, sic reor, ulla putet.
Hujus ubi crevit, nec jam est tolerabilis horror,
Et queritur lentum terra, notatque Deum :
Serus adest vindex, & se tandem approbat orbi.
Jussaque per certos crescere pœna gradus.
Orta lues : mox bella : ultor fuit ultimus ignis,
Quodque nec eluerent æquora cuncta, piat.³

Subtilitas calami ejus, varietas verborum, pulchritu-
doque inventionis ejus in hoc carmine manifestæ sunt :

*In villam illustrissimi ecclesiæ principis Jacobi
Benigni Bossuet, episcopi Meldensis, instituendo Delphino
Franciae olim præfecti (1690)*

GERMINII colles, vos & nemora alta, recessusque
Vmbriferi silvarum, & tu quoque Matrona, castas
Fulmine suspenso qui præterlaberis ædes :
Vos etiam longe à strepitu, vos pace sub alta,
Otia blanda, simul puræ bona gaudia mentis,
Quæ tanto incolitis felices hospite campos,
Si vos non cecini, quamquam meruistis, amicum
Indictâ causâ non accusate Poëtam.

Vestris qui dominus, custos qui præsidet agris,
Detinet attentam, nec fas avertere, Musam.
Vix juris sinit esse mei, vatemque reposcit.

Ille est, qui procerum numero selectus ab omni,
Regalis pueri, (Rex totâ hoc mente petebat)
DELPHINI mores in publica commoda finxit.
Nec vos affari, lepidâ neque ludere Musâ,
Nec calamos inflare licet ; vetat esse jocosum
Vindicibus pœnis, qui me tot numina vatium
Ejurare, Deo plenus meliore, coëgit.

Non bene conveniunt, rerum inter seria ludi :
Et pudor est miscere jocos, dum mente volutat
Consilia æterna, & summi decreta Tonantis,
Et quo relligio stetit inconcussa, Sacerdos.

Illius in toto legitur sapientia vultu,
Æthereique ignes, & puræ fulgura lucis
Augustâ de fronte micant. Quod si ora resolvat,
Cœlesti eloquio mentes rapit ; est sua verbis
Gratia juncta comes ; mirâ dulcedine, flecti
Indociles animos, & ferrea pectora mulcet.
Et sua dat sacris, quas tractat, pondera rebus.

Aspicite, ut rutilos clementia frontis honores
Temperet, ut blando se ostendat amabilis ore
Majestas, trepidoque favens, & amica clienti.

Ne tamen atra caput stygialibus efferat antris,
Pernicies regnorum, amens sine legibus Error ;
Olli relligio sua tela & fulmina cessit.

Tartareæ pestes rupto ex Acheronte profectæ
Terribilem sensere ; suæ jam noctis amantes
Se pavidæ abscondunt ; teneant sua regna ; nec ultra,
Reliquiæ tristes, laceri gens posthuma Monstri,
Inficiant terras & flatibus omnia fœdent.

Illo crediderim latitare in pectore Numen :
Nec mihi jam, laudata olim vos rura placetis.
Colles GERMINII, nuper mea gaudia, colles
Vallesque umbriferæ, nemora alta, sacrique recessus,
Fluminaque, & fontes, non jam mihi numen habetis.
Nulla dryas sylvis, nec ludit Najas in undis.
Quamquam, præcipio, liceat tibi, Matrona, tanti

Præsulis aspectu celeres suspendere fluctus.

Hic, quid dissimulem ? vestro succensus amore,
Vestri ruris amans, nec iniquo numine plenus,
Promissos dudum meditabar solvere versus ;
Me mihi subripuit Domini præsentia vestri.
Nec quicquam lugetis : inanes sistite luctus ;
Tempus erit, quo Musa memor reparabit honores.

VERSALIAS Arces, ubi publica fata reguntur,
Mox repetet ; dudum absentem Rex sentit, & omnis
Curia suspirat reducem : suadete regressum.

Et tunc solus ego loca sola ; omnesque beati
Ruris delicias, tandem mihi redditus ipsi,
Non infelici celebrabo carmine Vates.⁴

Obiit Divione die quinto mensis Augusti anno
1697 ; sepultus tamen est in abbazia Sancti Victoris
Parisiensis, ubi olim legebatur epitaphium ejus in
claustris :

HIC JACET
SANTOLIVS VICTORINVS
VERE VICTOR
QVI DIVINA VERSIBVS ÆQVAVIT
HVMANA SVpra HOMINIS VIRES CECINIT
LVDOVICI MAGNI VICTORIIS NON IMPAR
CONDÆORVM PRINCIPVM LAVREIS
LAVREATVS
NVLLIBI HOSPES
QVI CÆLVM TERRAS VRBES VILLAS FLVMINA
FONTES
SIBI PATRIAM FECIT
POSTREMO TAMEN BVrgVNDVS ESSE MALVIT
NE QVID VATICINIO DEESSET
VELVTI FVTVRVS IN ÆTERNVM DIVIONE CIVIS
OBIIT NONIS AVGVSTI AN. M.DC.XCVII⁵

Sæculis XVII et XVIII numeravit Francogallia optimos
poetas quorum injuste nunc oblita est : inter quos
nominare libet Petrum Danielem Huetium, Natalem
Stephanum Sanadonem, Petrumve Ruæum... Gloriam
cultus Francogallici arte sua excelsa auxerunt atque
Latinitatem vivam carminibus illustraverunt. Nefas est
eorum non memor esse. ❧

1. Ex libro : « Gabrielis Cossartii e Societate Jesu Orationes et Carmina.
Parisiis, Apud Sebastianum Marbre-Cramoisy Regis Typographum, viâ
Jacobæâ, sub Ciciniis. M.DC.LXXV. cum privilegio Regis. » pagina 240.

2. Ex libro : « Joannis (sic) Baptistæ Santolii Victorini operum omnium editio
tertia in qua reliqua opera nondum conjunctim edita reperiuntur. Parisiis,
apud Fratres Barbou, viâ Jacobæâ, sub signo Ciconiarum. MDCXXXIX cum pri-
vilegio Regis. » Tomo primo, pagina 219.

3. Carmen Francogallicum sic se habet : (in eodem libro, tomo III pagina 82)

*Ainsi brula jadis cette fameuse Troye
Qui n'avait offensé ni ses Rois ni ses Dieux.
Londres d'un bout à l'autre est aux flammes en proye,
Et souffre un même sort qu'elle mérite mieux.
Le crime qu'elle a fait, est un crime odieux,
A qui jamais d'en baut la grace ne s'octroye.
Le soleil n'a rien vu de si prodigieux :
Et je ne pense pas que l'avenir le croye.*

*L'horreur ne s'en pouvoit plus long-temps soutenir,
Et le Ciel accusé de lenteur à punir,
Aux yeux de l'Univers enfin se justifie.
On voit le chatiment par degrez arrivé ;
La guerre suit la peste, & le feu purifie
Ce que toute la Mer n'auroit pas bien lavé.*

Incensa est urbs Londinium anno 1666 ; crimen, quod denuntiat carmine
Benserade, est cædes regis Angliæ Caroli primi anno 1649 qua horruerunt
valde omnia regimina Europæ. Carmen ejusdem anni est atque incendium.

4. Eodem libro, tomo II, pagina 210.

5. Eodem libro, tomo III, pagina 146.



FELIX FABRI PEREGRINATOR AD HIERUSALEM INTER MEDIVM ÆVVM ET ÆTATEM MODERNAM (II)

- scripsit Ælius Nestola -

Hic, sodales, relinquo fratris Felicis narrationem, sed vobis suadeo ut sequamini vestigia nostri auctoris in eius incredibili itinere usque montem Sinai, Ægyptum, portum Alexandriae. Si totum opus legere vultis, editionem Stutgardensem depromendam invenietis apud hanc sedem interretialem : www.literature.at/webinterface/library/ sub voce « Tirolensia Latina ».

Nunc mihi liceat fratrem Felicem breviter sequi in aliquibus aspectibus eius humanitatis : exempli gratia, in eius gustibus. Nam ab initio suae peregrinationis noster Felix videtur sollicitus esse de vinis parandis, enotat vina typica quae gustat aut emit in singulis locis et urbibus, ita ut eius evagatorium potius iter vinosum haberi possit quam peregrinatio ad loca sancta. Ad summam apparet noster frater peritus gustator et bonus arbiter vinorum.

Transitis Alpibus, dum cursum Athesis fluvii versus Tridentum sequitur, Frater Felix invenit patriam et originem clarissimi vini nunc « Gewurztraminer » dicti, quod adhuc servat antiquum nomen : « Trans Athesim vidimus fertilissima montana, cum multis castris et villis, principalior tamen villa dicitur Tramingum [nunc Theodisce *Tramin*, Italice *Termeno*], quae magna est, iuxta quam crescunt vina nobilia, quae ducuntur in Sueviam, et a villa denominantur Traminger. » Felici Fabri vinum nobile Termenicum manet exemplum quocum comparanda sunt cetera vina.

Venetiis, in conventionem viginti articulorum facta cum Petro Lando, patrono galeae triremis, (ut « Patronus nos peregrinos de Venetiis usque ad Ioppen, portum terrae sanctae, et inde demum usque Venetias ducat reducatque »), sextus articulus significat : « quod semper mane ante cibum malfasetum infundat cuilibet unum bykierum, parvum vitrum, prout consuetum est in navibus fieri ». Tali nomine (malfasetum, et postea malvaticum) frater Felix indicat notum vinum Graecum « malvasiam ».

Sed noster amicus peregrinus in unoquoque portu, ad quem appellit, curat ut paret vina et emat flascones vini. Metonae, in portu Messeniae, qui in medio mari Mediterraneo « oculus Venetiarum » appellabatur, fratri Felici supervenit grave dubium de excellentia dilecti vini Termenici. Nam affirmat : « De vino, quod ibi (Metonae) crescit, quid dicam, cum solus cogitatus de eo me delectet ; ibi enim crescit vinum muschatellum, cuius florem et nobile usurpat sibi nomen quoddam vinum crescens in aulone Tridentino iuxta Tramingum villam, quod vix est aqua respectu illius, et est ibi copia magna et bono foro nobilisque est vino Cretico. »



Nunc cognovimus gustus Fratris Felicis. Ille videtur malle vina candida, dulcia, plus minusve aromatica, generis Muscati : vinum Termenicum (*Gewurztraminer*), vinum Malvaticum (*Malvasia*), vinum Muscatellum. Et in insula Candia vinum Malvaticum aut Creticum « est dulce et delectabile, copiose sumptum vertiginem inducit ». Memorabilis enim fuit mansio in insula Candia, ubi pii peregrini indulserunt choralibus ebrietati. De huius generalis ebrietatis nocte in galea in portu Candiae, mihi placet vobis praebere hanc paginam vere iocosam :

« Quidam peregrinus sacerdos Dalmata, mihi multum familiaris, etiam nimis de dulci vino gustaverat, ita quod cum labore in galeam usque ad malum venit, et ibi stabat, loquens cum alio Dalmata usque ad tenebras. Stabat autem prope foramen carinae, per quod non est descensus nocte, sed tantum die, et dum nox est facta, deponitur scala, ut non inquietentur inferius dormientes in illo latere. Cumque ille bonus peregrinus locutionem suam finivisset et iam nos inferius omnes in lectis nostris iaceremus colloquentes, volebat in cumbam suam descendere per proximum foramen, et ponens in incerto pedes, importune deorsum lapsus est per foramen in pavimentum carinae, ita quod galea ad suum casum tremuit, quia erat vir magnus et crassus. Nos vero omnes conticuimus, perterriti auscultantes quis cecidisset. Statim ille illaesus surrexit, et cum ira incepit lingua balbutiente quaerere, dicens : 'Ecce, scalam sub pedibus habui et per tres gradus descendi et quidam traxit mihi eam de pedibus et cecidi.' Cui cum quidam diceret scalam ante horam depositam, respondit : 'Non est ita, quia tribus gradibus iam descenderam, et in tertio gradu me consistente (scala) mihi est detracta'. Ad haec verba omnes fuimus resoluti in risum, scientes scalam ante horam fuisse amotam ; ego vero iocundatus magis fui, congaudens socio, quod in

tam periculoso et alto casu nihil mali sibi accidit, multum in risum concitatus fui. Cumque audivisset me ridentem infremuit contra me. 'Ecce, inquit, manifeste cerno, quod tu frater Felix mihi scalam traxisti de pedibus. Certe galeam non exhibis, nisi me vindicavero.' Cumque me excusarem, plus indignabatur, et mihi maledicebat, iurans se in crastinum vindictam de me sumere. Sed dormitio sequens omnes vertiginosos et ægrotos, quos vinum Creticum debilitaverat, sanavit : nec in crastinum memoria istorum fuit. Si ille peregrinus absque vino et sobrius istum casum accepisset, forte cervicem aut tibias confregisset. Communiter enim ebrii in casibus periculosis sunt ceteris fortunatiores, sed non prudentiores. »

Moderni studiosi et cultores historiæ peregrinationum sæpe investigaverunt hanc vere miram summam notitiarum quas Frater Felix collegit, sed neglexerunt vestem formalem operis et methodum componendi. Immo critici sæculi decimi noni spreverunt et severe iudicaverunt formam linguisticam huius *Evagatorii* (« pessimo calamo » scripti), ut ipse editor Cunradus Dietericus Hassler : « Latino sermone scripsit auctor, sed fere isto, qui epistolis obscurorum virorum ludibrio fuit, nec usui vocabulorum nec linguæ legibus recteque scribendi rationi satis congruo. »

De severo iudicio illius temporis, necnon posthmo, ipse auctor Felix Fabri conscius et præsaus fuisse videtur, qui in epistola dedicatoria affirmat : « Si libellus iste ad manus venerit illorum qui omissis Dei euangeliis et Prophetis comoedias legunt, et amatoria Bucolicorum versuum verba canunt, et Virgilium tenent, et Carmina poetica student, et in pompa rhetoricorum verborum gaudent, scio, me non posse eorum detrectationes, derisiones et subsannationes evadere. Talibus Evagatorium nostrum fastidiosum erit, quia curiosa amant, Sacram Scripturam vilipendunt, Ierusalem non diligunt, et maxime si Felicem spernunt, quem garrulum et indoctum proclamabunt. Ego destinato operi imponam manum, scyllæos canes obturata aure transibo. Legant qui volunt ; qui nolunt, apices eventilent. »

Sed Frater Felix Fabri potius habendus est scriptor mediævalis, ignarus linguæ Græcæ et Hebraicæ, qui adhuc utitur lingua Latina viva, tempore quo docti et humanistæ, classicam claritatem persequentes, discedebant a Latino vulgari sermone. Certe caret Felix Fabri sensu critico et acumine ingenii in doctrinis et conceptibus abstractis explanandis, sed præditus est arte vitæ immediatæ enarrandæ, sicut modernus diurnarius. ❧



DE CERTAMINE DECLAMATIONIS

- refert Daniel Blanchard -

Die 26 mensis Aprilis anni 2007, primum actum est Lutetiæ Parisiorum in ædibus consociationis « Alliance Française » certamen declamationis Latinæ sub auspiciis editionum « les Belles Lettres ». Quinque fuerunt participes, publica acclamatione iudice.

Participibus recitandum erat subiunctum carmen excerptum ex opere Friderici Dedekind¹ (1524-1598) anno 1549 edito sub hoc titulo : *Grobianus et Grobiana, De morum simplicitate libri tres, in gratiam omnium rusticitatis amantium conscripti*. Quod carmen, non nimis sublime sed tamen iucundum, hilaritatem risumque movit.


Perpetuas agitant pulices et femina lites
 Bellaque in æternum non dirimenda gerunt.
 Insidias parvus tenebris defensus iniquis
 Collocat, exiguo pungat ut ore pulex
 Femineoque suum mordax in corpore rostrum
 Figit et in tenera spicula dura cute.
 Exagitat miseras adeo dolor ille puellas,
 Vt positis ineant aspera bella moris.
 Tu quoque, lucifugo quando infestaris ab hoste
 Fortiter ultrici corripe tela manu,
 Sive domi sævis te lædere morsibus ausit
 Sive cruentato te petat ore foris.
 Nilque tua refert, hinc multa quod adstet et illinc
 Quæ videat mores turba aliena tuos :
 Vestibus excussis inimicum quære latentem,
 Supplicium sceleris captus ut ille luat.

Fortiter e latebris captivum protrahe, nec te
 Parcere res hosti moverit ulla tuo.
 Exemplum metuent alii crudele, tuumque
 Qui latus inde ausit pungere, nullus erit.
 Non alia poterit tibi pax ratione parari,
 Quin tuus ad manes perditus hostis eat.
 Nunc etiam exemplum, ne quid tibi deesse queraris,
 Accipe, quod vitæ dirigat acta tuæ :
 Publicus antiqua conventus in urbe virorum,
 Quo non exiguæ res agerentur, erat.
 Venerat huc mulier rerum studiosa novarum
 Et quæ vellet agi, plurima vidit agi.
 Interea multas dum res differtur in horas...²

Coronam lauri accepit sodalis noster Ladislaus Dolidon. Tantum dolendum fuit, paucos certiores factos esse de hoc certamine. Proximum, si res melius se habebunt, satis ample et in antecessu nuntiabitur. Sic optamus, vivacitatem latinitatis clare publiceque apparere.

1. Idem autem Dedekindus, qui non solum poeta, sed etiam pastor fuit Lutheranus, Lutheri catechismus vertit in iambos.

2. Lector procul dubio suspensus sequentia inveniet in hac sede interretiali : <http://www.uni-mannheim.de/mateo/camena/dede1/dedekindgrobianus.html>



In hoc fasciculo !

- De libello ab Academia pacto* [G. Licoppe] p. 1
De democratia et prosperitate [S. Jansson] p. 2
De Ara Pacis Augustæ [G. Licoppe] p. 4
De duobus viris illustribus [V. Ciarrocchi] p. 9
De poeta in oblivionem delapso [D. Blanchard] p. 11
Felix Fabri peregrinator ad Hierusalem (II) [Æ. Nestola] p. 14
De certamine declamationis [D. Blanchard] p. 16

*Imago tegumenti : Agostino Musi, delineatio incisa ex Aræ Pacis oratione,
XVI sæc., Lutetiæ in Bibliotheca Francogalliæ Nationali.*

LATINE LOQVI...

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, d. 26 m. Iulii - 2 m. Augusti.
¶ <http://www.uky.edu/AS/Classics/aestivumlat.html>

CONVENTICVLVM RVSTICVM

In Civitate Vasintonia d. 21-27 m. Iunii.
¶ <http://www.wenval.cc/boreoccidentales/>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, 18-25 m. Iulii.
¶ feriae@frigolet.com

HVMANITAS

Conventus de humanitate nostra ætate restituenda,
Neapoli d. 15-22 m. Iulii
¶ www.conventushumanitas.eu

SEMINARIVM CRACOVIENSE

A L.V.P.A. institutum, 28 m. Iulii - 4 m. Augusti.
¶ www.lvpa.de/

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 22-28 m. Iulii.
¶ in Belgica in abbatia Maretiolensi : 5-11 m. Augusti.
¶ <http://www.voxlatina.uni-saarland.de/>

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

Latine loqui - Romane coquere, 28 m. Iulii - 4 m. Augusti.
¶ www.septimanalatina.org